1642

Z fol 614 inv. 556 (p. 5)

PRO
DD. Canonicis Regularibus Lateranensibus

An capaces sint quorumcunq; beneficiorum sæcularium.

SPIRITVS TVVS BONVS DEDVCAT ME.



Vlta quidem, & vt dicitur, pleno calamo, luculenterq; scribi possent in ea disceptatione. An scilicet Regularibus sæcularia Beneficia rectè conferri valeant; verùm quia labor hic, iam ab alijs susceptus, suos abbundè fructus protulit, ne furtum faciam, dùm aliena transcribere volo, satis sit innuere post D. D. in cap. Cum de beneficio de Præben. in 6. de ea copiosè tractasse Garz. de benef. p. 7. cap. 10. num. 16. & seqq. meam verò, pro nunc, esse prouinciam, vt adeò vastam materiam, ad Regulares, qui Canonici Lateranenses vocantur restringam, An nimirum prædicti Beneficiorum sæcularium, & quorum, & quomodò sint capaces; breuiter quidem, cùm tempus non vacet ad sæpè molestam prolixitatem inducendum.

Canonicum Regularem non posse obtinere Parochialem, nisi præficiatur causa prædicationis, aut si fuerint dispensatus, aut in subsidium, alijs deficientibus sæcularibus, dicit Rebuf. in Parax. tit. de dispensat. cum Regular. n. 40.

Verùm non esse dubium, beneficia sæcularia curata posse obtineri à Canonicis Regularibus conuinci videtur per tex. in cap. Quod Dei timorem de Stat. Monach. id ipsũ approbatur in decis. Caputaquen. 85. p. 1. Nauar. in cons. 11. & 12. de Stat. Monach. etiam sine dispensatione Episcopi

copi


BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE

copi citati à Garz. vbi ſupra ſub n. 25. & 26. cum licentia tamen ſui ſuperioris. Gratian. diſceptat. forenſ. cap. 123. ſub num. 22. vbi allegat Trident. arguendo à negatiua ad affirmatiuam in caſu permiſſo, ſeu conceſſo cap. 11. ſeſs. 14. latè id comprobat Gabriel Pennotus in Hiſtor. ſuæ Religion. Canonicorum Regul. lib. 2. cap. 72. ſub argu 5. & ſeqq. & arg. 6. affert exemplum S. Caroli vnà cum Inſtrumento per extenſum colationis ab eo factæ de Eccleſia Curata loci Vimodroni D. Theophilo Variſio de Triuilio Canonico Regulari anno 1584. 4. Idus Ianuarij Pontif. Sanctiſſimi D. Gregorij XIII. anno 12.

Et adhuc recens viget memoria illorũ Canonicorum Regularũ, qui curã animarum geſſerunt in loco Vaprij, Capriatæ, & Præcocti.

Ex quo facto eluſa remanent obiecta quorumdam aſſerentiũ, quicquid ſit inſpecta diſpoſitione dicti cap. Quod Dei timorem, Canonicos Lateranenſes non eſſe capaces ſine diſpenſatione Apoſtolica ex declaratione quadã ſomniata ſub eodem Pontifice, & de qua Garz. dicto loco num. 32. Gonzal. ad reg. de menſe gloſ. 8. ſub num. 53. Quarant. in verbo Canonicus Regularis Piaſec. in prax. Epiſc. tit. de prouiſ. beneficior. num. 23. Eluſa; inquam, remanent, tùm quia prædictis declarationibus ſtandum non eſt, niſi de ijs in forma probanti conſtiterit, tùm etiam quià incredibile eſt ſub eodem Pontifice Virum ſumme Religioſum, & viris doctiſſimis circumſæptum, vlz. Sanctum Carolũ contra huiuſmodi declarationem vt ſuprà conferendo, proceſſiſſe.

Hæc quo ad beneficia cum Cura Animarum: Sed quid de ſimplicibus? Si vera eſſet, & authentica exhiberetur declaritio S.C. Concil. Trid. relata à Garz. vbi ſupra ſub nũ. 31. vtique fatendum eſſet non licere Canonicis Regularibus habere beneficium ſimplex ſine permiſſu, & licentia Sanctiſs. Sed cum de ea non conſtet legitime, non video quare ſtantibus hinc, inde pro affirmatiua, & negatiua Doctoribus, vnam ex ijs amplecti non poſſit quilibet Canonicus Regularis, cui aliud non obſtet Canonicum impedimentum præter ſuæ Regulæ Profeſſionem; Illa enim inſpecta, & in qua ſe fundant qui affirmatiuam ſenten-

tiam

tiam sequuntur, sunt omnino capaces beneficiorum simplicium ex solo permissu Superiorum suorum, vt ex verbis illius apertè dignoscitur, quæ sunt tenoris vt infrà. Et ità &c. saluo &c. Laus Deo.

Mediol. 19. Maij 1642.

Io, Baptista Aldegus I. C.

Formula professionis Canonicorum Reg. Lat.

ANno Domini N. die N. mensis N. Ego D. N. in sæculo vocatus N. filius N. voueo, profiteor, ac promitto Deo, B. Mariæ Virgini, & Beato Augustino, ac tibi Adm. R. Domino, Don NN. Abbati huius Monasterij S. N. Ordinis Canonicorum Regularium Saluatoris Lateranensis, recipienti nomine, & vice Reuerendissimi Patris, ac Domini Don N. Abbatis Generalis totius Congregationis, ac successorum eius Canonicè intrantium, Obedientiam, Castitatem, & Viuere in communi sine proprio vsque ad mortem secundùm Regulam Sancti Augustini, Et quod numquam absque licentia Capituli Generalis dictæ Congregationis, vel eius auctoritate fungentis, aliquod cum cura, vel sine cura Beneficium acceptabo, intùs aut extrà Ordinem nostrum renuntiando omnibus iuribus, priuilegijs, consuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris.

Ego Don N. supradictus propria manu scripsi, & proprio ore pronunciaui.

